



16

*J. 28. num. 4.*

*15.*

*1751*

DISSERTATIO IVRIS NATVRALIS

DE

# IVRE RETENTIONIS

QVAM

IN VSVM IVRIS CIVILIS

CONSCRIPSIT

ATQVE

PRAESIDE

*VIRO CONSVLTISSIMO*

*AC DOCTISSIMO*

PHILIPPO IACOBO HEISLER

I. V. D.

PVBlice PROPVGnabit

BERNHARDVS INTELmANN

REVALIA - LIVONVS

MENSE MARTIO A. MDCCCL.

*P. A.*

---

HALAE MAGDEBVRGICAE  
LITERIS IOANNIS GODOFREDI KITTLERI.





DIMENTATIO LVIII NATURALIS


CAVITATE


IVRE RETENTIONIS

IN GENE

WILHELMUS IVON JENNER

Faint, illegible text in the lower half of the page, possibly bleed-through from the reverse side.





DISSERTATIO IURIS NATURALIS

CAPVT I.

DE

IVRE RETENTIONIS  
IN GENERE.

§. I.



**I**us retentionis est ius rem alienam, finita Iuris retentionis definitio licet causa, ob quam eam adhuc possedimus, non restituendi propter debitum.

1. Procul dubio hanc definitionem suo definito clamabis strictiorem. Enimvero dissertatio ab obiecto vindicata haec in usum Iurisprudentiae positivae concatur.

scripta promittitur, adeoque terminos in eo significato accipere me oportebat, quem cum iisdem coniungunt et LL. positivae, et receptus in scholis IGtorum loquendi usus. Iam vero ius Iustinianicum si

Δ

encl.

euoluimus: mox *imperum mularum retinere*, mox *usufructum* vel *possessionem retinere* pro non *amittere* verba legimus. l. 8. §. 1. ff. ad L. Aquil. l. 16. §. 1. C. de usufr. l. 25. §. 1. ff. de acquir. poss. Deinde in scholis ICtorum e. g. quaeritur, an quis, usucapione iam perfecta, possit rem usucaptam *retinere*, si postea eam alienam esse cognouerit? ut taceam sexcenta id genus alia. Hisce retentionum speciebus profecto mea non conuenit definitio. Resp. distingue, et concordabit scriptura. Alius est significatus vocis *retinere* grammaticus, alius iuridicus, quem vtrumque misere miscuisse MOLIGNATUM in Tr. de retentione queruntur omnes, quorum is ad manus oculosque peruenit. Sensus vocis grammaticus iam nihil ad me. Ille retentionis significatus mihi potius fuit peruestigandus, quem voci iungere solent Iurisperiti, quando de *iure retentionis* ipsis sermo est. Hunc inveni per singulos casus eundo, quibus hac locutione vtuntur. Duobus exemplis rem illustrasse sufficiat. Caius, peregre profecturus, Maevio vasa sua argentea tradit, interea, dum abfuturus esset, custodienda. Redux factus vasa repetit. At Maeuius contra: mi bone! *in manibus ist gut Patcin*. Tu mihi adhuc in aere es ex mutuo; hoc debitum donec expunxeris, vasa me non redditarum scito. Hoc casu Maeuium iure retentionis vsum affirmant omnes vno ore. Idem dic de commodatario, qui, finito licet usu, ad quem res ipsi commodato data, eam tamen restituere detrectat, donec sibi de eo, quod debet commodans, satisfactum. Huc etiam sartor pertinet, vestem, donec pretium laboris solutum, retinens. Omitte iam (sic praecipiente Logica) determinationes casuum discrepantes; his demtis, reliqua tibi fiet vera et constans indiuiduorum similitudo h. e. notio speciei cuiusdam, *retentionis* nimirum in sensu iuridico acceptae, quam mea satis distincte exprimit definitio. Ex his iam perspicue patet, locutiones initio scholii ex LL. Iustinianeis atque scholis ICtorum petitas meam definitionem non tangere. Ibi enim vox *retinere* in sensu grammatico capienda est.

2. Dele vel vnam ex definitione determinationem, et mox desinet schola boni et aequi *retentionis ius* nominare.

Pone a) aliquem rem non possidere; et tunc retentio ne quidem in sensu grammatico praedicabitur, nedum in iuridico.

Pone

Exemplis  
illustratur

ulterius  
examina-  
tur.

Pone b) eum possidere quidem, sed rem *suam*, eamque retinere; et licet certe eum *iure retentionis* uti non dixeris, nisi easdem cum MOLIGNATO querelas contra te excitare volueris. B. LUDOVICI in Diff. de iure retentionis ex diversa etiam causa competente §. 16. in hunc Ictum merito invehitur, dum narratis eiusdem ridiculis, ut illas vocat, quas in suo tractatu in medium attulit, quaestionibus, e. g. an clericus possit retinere canes venaticos? an dominus possit retinere animal periculosum in via publica ante domum? tandem subiungit: *quid, quaeso, haec ad tractatum de iure retentionis?* Ecce non? quia nimirum retentio in sensu iuridico accepta rem alienam possideri desiderat, quam etiam stomachi vel verius cachinni sui causam ipse reddit LUDOVICI.

Pone c) Titium possidere quidem rem alienam e. g. ex causa pignoris, et debito, quod pignus afficit, nondum soluto, eius restitutionem debitori denegare; et iterum nemo vi *iuris retentionis* eum id facere affirmabit: nempe quia ex antiqua causa rem detinet, eaque nondum finita. Pinge vero, Titium, debito, quod pignus afficit, soluto, ob aliud debitam a priori diuersum, et cuius intuitu pignus non est obligatum, rem debitori non reddere; et iam *iure retentionis* is uti ab omnibus dicitur: quia nimirum, licet causa possessionis prior finita, rem tamen non restituit ob aliud debitum.

Denique pone d) aliquem rem alienam ex iusta causa adhuc penes se existentem, ea finita, retinere ex noua quidem causa, quae tamen non est debitum; et tunc grammatico sensu quidem retentio erit, sed nemo Ictorum *ius retentionis* aut in ore aut in mente habebit. Plane cui vacat, iuris retentionis exempla, qualia DD. magno numero et ad nauseam vsque in suis de iure retentionis libris recensuere, percurrere, is ubique ius retentionis pro fundamento debitum habere deprehendit, quo adhuc obstrictus est is, cui restitutio rei denegatur. Vid. LUDOVICI c. l. a §. 8. vsque ad §. 20. et SCHWENDENDORFER in Diff. de retentione a §. 7. vsque ad §. 39. vbi omnia sciant exemplis iuris retentionis, iisque omnibus eiusmodi, quae debitum praesupponunt. En! enarraui in definitione, ut oportebat, meros characteres definiti necessarios; nullum vero abesse, qui, salua definitionis perfectione, desiderari non queat, negatiua est propositio, quam

demonstrare nimis longum foret atque molestum, quippe quae per inductionem esset probanda. Tu potius fodes! affer in medium, si quam praeterea necessariam requiris, determinationem, et magnam, mihi crede, a me gratiam inibis.

## §. II.

De retentione axiomatica.

*Ius retentionis requirit, causam possessionis priorem cessare, et eius loco iam adesse novam causam, quae praecise debitum esse debet. Quod causa possessionis prior cessare debeat, liquidum dat ipsa iuris retentionis definitio (§. 1.). Quod vero eius loco adesse debeat nova causa possessionis, facili brachio sic demonstro. Per causam possessionis hoc loco intelligimus rationem, ex qua intelligi potest, cur res aliena non debeat restitui. Pone iam, causam possessionis priorem cessare, nec tamen eius loco novam adesse: tunc utique possidebis sine causa; per consequens desiderabitur ratio, ex qua possit intelligi, cur rem alienam restituere non debeas. Iam vero sine ratione sufficiente nihil esse potest (L. B. DE WOLFF Metaphys. germ. §. 30.). Ergo nec retentio exerceri potest, nisi, causa possessionis priore finita, adsit nova causa. Iam vero haec nova causa possessionis vel est debitum, vel alia quaedam. Prius ut sit, necesse esse, vbi de iure retentionis sermo est, ex loquendi usu demonstratum dedi (§. I. Schol. 2. num. 4.). Et haec tria fuerunt probanda.*

## §. III.



## §. III.

*Finis retentionis est securitas crediti, utque morosus debitor compellatur ad soluendum, ad quem finem obtinendum retentio est medium maxime idoneum.* Id, quod volumus per actionem nostram ut existat, *finis* vocatur. (L. B. DE WOLFF Metaphys. germ. §. 910.). Atqui is, qui ius retentionis exercet, hoc vult, ut crediti securitatem sibi paret, paratoremque impetret solutionem. Enimvero facit id *propter debitum* (§. I.). Qui vero propter debitum rem debitoris retinet, non potest intendere, quam quidem hoc, ut sibi de credito satisfiat, quid enim, edic, intenderet aliud? Ergo debiti *expletionem* respicit retentio, eamque vel ita, ut sit ipsa expletio, vel non. Prius si adseris: negabo ego *retentionem* vocari posse, illam scilicet in sensu iuridico acceptam, sed potius *compensationem* vel *in solutum dationem* aliamve similem expletionis speciem nominabo. Quid ergo iam? Posterius affirmandum. Et tunc iterum non potest excogitari alia idonea retentionis ratio, quam ut creditor extra periculum amittendi crediti se colloct, paratoremque debitorem tergiuersantem nequentemque moras faciat ad soluendum. Igitur in demonstratis iam est, finem retentionis esse crediti securitatem et faciliorem solutionem impetrandam. *Id quod erat primum.*

Iam vero quod rationem in se continet existentiae finis, *medium* audit (L. B. DE WOLFF Metaphys. germ.

Retentio-  
nis finis.

§. 912.). Atqui retentio quam maxime rationem in se continet, vt existat finis, quem sibi praefixit creditor, ius retentionis exercens. Retentio enim nouum debitori motiuum adfert ad soluendum, vtpote certo, se rem suam, qua tamen aegre carere potest, ante non recuperaturum a creditore, quam soluto debito. Noua motiua superuenientia efficere possunt, vt, quod ante nolabamus, iam velimus, h. e. vt voluntas consequens contraria fiat antecedenti (IDEM c. l. §. 504. sq.). Ergo retentio determinat debitorem ad solutionem, quam ante in animo non habebat. Et pone etiam, eum non determinari, sed re sua carere malle, quam soluere: saltem habebit creditor, ex quo redigere, quod sibi debetur, possit. Meridiana igitur luce est clarius, retentionem ad id quam maxime facere, vt paratior reddatur debitor ad soluendum, vel certe securus creditor praestetur de credito, per consequens eam medium existere ad finem hunc obrinendum maxime idoneum. *Id quod erat alterum.*

## §. IV.

*Iure retentionis vtens id semper facit, donec de credito sibi satisfiat, adeoque omnis retentio temporalis est. Qui enim ius retentionis exercet, eo vtitur tanquam medio, promptiorem solutionem moroso debitori extorquendi (§. 3.). Ergo non diutius rem debitoris retenturus est,*  
quam

Omnis retentio temporalis est.

quam donec hic finis obtentus, h. e. donec sibi de credito fuerit satisfactum: (obtentio enim sine media cessare oportet.). Ergo duntaxat *ad tempus* rem debitoris retinere vult. Quod vero ad tempus fit, *temporale* Icti vocant. Ergo omnis retentio temporalis est.

Hem! captus es, mihi videor a nonnemine obiurgari. Haec ipsa enim verba: *ad tempus*, vel: *donec de credito satisfactum*, definitioni fuissent inferenda, secus ea existet latior suo definito, utpote *compensationi*, in *solutum dationi* et *confusioni* (puta si creditor debitori heres succedit) aequae conueniens ac retentioni, quas tamen priores species ab hac differre norunt omnes, quotquot sacrae Themidis aedem vel a primo limine salutarunt. Differentia autem in eo potissimum se se exserit, quod illae habeant effectum *perpetuum*, haec vero tantum *temporalem*, nimirum *donec de credito satis fuerit factum*; adeoque haec nota characteristica in definitione nequaquam erat negligenda.

Resp. Captus ego? vix adducor, ut credam. Nam, etiam omissa hac determinatione, satis manifestam nostra definitio exhibet differentiam specificam. Enim vero *compensatio* et in *solutum datio solutionis* habent effectum (L. B. DE WOLFF Inst. Iur. N. et G. §. 756. 757. iunct. §. 751.); per consequens si debitor rem suam penes creditorem existentem, causa possessionis priore finita, eidem in *solutum* relinquit ob aliud debitum, aut si ob mutuum debitum ac creditum *compensatio* fit, creditor efficitur *dominus* rei, quam retinet, adeoque non retinet rem *alienam*, id quod tamen satis clare nostra requirit definitio. Igitur in *compensatione* et in *solutum datione* contingit quidem, datis casibus, *retentio* sensu grammatico, aut non iuridico talis. Eadem de *confusione* dicta velim, quippe quae eundem effectum habet (IDEM §. 761. c.1.) et creditori *dominium* tribuit rei, quam ante *confusionem* debitori, cuius iam heres extitit, restituere debebat (IDEM §. 916. et 917. c.1.). Non cum iis ego facio, antiquius quibus nihil est, quam omnia rei attributa in definitionibus suis operose recensere, easque per omnia causarum generum ducere, quas metiri si velis, multis parafrangis opus habes. Ab-

Occur-  
tur obiecti-  
oni.

Retentio-  
nis a com-  
pensatione  
etc. diffe-  
rentia.

hor-

horret ab istiusmodi descriptionum genere recentior eaque sanior Philosophia. Functi sumus officio, reliqua si ex definitione legitimis rationibus erui possunt. Secus si facis, canonis logici: *definitio non fit abundans*, reus es.

## §. V.

*Ius retentionis legale, conventionale, testamentarium quid?*

Ius retentionis creditori constituitur vel immediate per leges, vel non. Si prius, ius retentionis *legale* compellere liceat. Sin posterius: vel pacto constituitur, et ius retentionis *conventionale*; vel vltima voluntate, et ius retentionis *testamentarium* dicemus.

*Testamentarii exemplum.*

1) Exempli loco fit haec vltima voluntas: *Titio aedium mearum inquilino do, lego centum, qui aedes vacuas reddere non teneatur ante, quam ipsi legarum heres numeraverit.* Hoc casu Titius iure retentionis testamentario gaudet. Ius retentionis legale et conventionale exemplis illustrare supervacaneum duco.

*Divisionis insolentia excusatur.*

2) Equidem non memini, me hanc divisionem aut oculis aut auribus unquam usurpassè, sed tamen suo non destituitur fundamento, nec abludivit ab analogia iuris. Similes enim divisiones in iure nostro nec sunt ignotae, nec rarae. Exemplo sit *ius protimiscios*, quod DD. profus eodem, quo ego ius retentionis, modo in *legale, conventionale et testamentarium* diuidunt. (vid. *Cel. D. NETTELBLADT Syst. elem. Iurispr. posit. tom. 2. §. 498. n. 5.*)

*Ius retentionis iudiciale,*

3) Dices: datur alia quaedam species iuris retentionis, nimirum ius retentionis a iudice constitutum, quod *iudiciale* forsitan posset salutarì. Resp. In iure civili vel etiam in iure publico uniuersali si versamur, vbi Respublica et iudex praesupponitur, nouam hanc speciem addi non ineptum iudicarem; adeo vt hac posita hypothefi ius retentionis lege vel a iudice constitutum *necessarium*, voluntate debitoris vel testatoris vero datum *voluntarium* dicendum esset, eodem plane sensu, quo *ius pignoris in necessarium et voluntarium* in scholis diuidunt.

*necessarium, voluntarium,*

Tunc.

Tuncque ius retentionis necessarium in *legale et iudiciale*, voluntarium vero in *conventionale ac testamentarium* subdiidendum fore, vel me non monente cernis. At mihi de iure retentionis in genere iam sermo. Nondum Rempublicam, nondum superiorem aut iudicem pono. Quare a mentione iuris retentionis *iudicialis* vt abstinere, omnino me oportuit, ne diuisiones sifterem ad ius retentionis in statu naturali, de quo cap. 2., forte non quadraturas. Cogita, abstrahentium non esse mendacium.

§. VI.

Ius retentionis exercetur propter debitum (§. I.). *Ex eadem et diuersa causa quid?*  
 Iam vel exercetur propter debitum tale, quod eius rei, quae retinetur, intuitu ortum, vel non. Si prius, ius retentionis ex *eadem vel connexa causa*; Sin posterius, ius retentionis ex *diuersa vel non connexa causa* nominabis.

1) Cape tibi exempla. Deponens rem depositam repetit, in quam impensas facere depositarius necesse habuit. Hic restitutionem detestat, donec impensae a deponente sibi refusa. Item stabularius (utor termino ex iure Rom. petito,) iumentum viatoris retinet, pabulis nondum solutis, aut sartor vestem, quam confecit, nondum praestita mercede operarum. Hisce casibus ius retentionis ex *eadem vel connexa causa* deprehendis. Ast finge, depositarium rem depositam retinere propter debitum cum deposito nullo modo connexam, aut stabularium propter debitum ex mutuo, aut sartorem propter mercedem ex alia veste, quam quae retinetur, residuam iumenti aut vestis restitutionem denegare; et habebis ius retentionis ex *diuersa vel non connexa causa*.

2) Caeterum parciores, quam decet, sunt Icti in definiendo iure retentionis ex *eadem causa*, CARPZOVII definitionem fere ad unum *ori illu-* omnes amplectentes, qui P. II. Const. 25. defin. 24. num. I. *stratione.* *CAYSAM*

B

EAN-

EANDEM vocat, si causa retentionis ipsi rei, quae detinetur, inhaeret. Verum obscura haec mihi sunt. Amabo te! quid est hoc: causa retentionis ipsi rei inhaeret? Certe ex hac definitione limites inter ius retentionis ex eadem et diuersa causa non satis perspicue cernere datur. Mihi in hac re arridet HERINGII explicatio, qua in *Diff. de retentione in deposito licita* Sect. I. §. 16. phrasin Carpzovianam ita reddit: tunc causa retentionis rei, quae detinetur, inhaerere dicitur, si debitum a) propter eam sit contractum, b) aut si in eam a possessore factae sint impensae, vel c) operae h. e. quod ego brevioribus verbis enunciaui, si debitum inuitu rei, quae retinetur, ortum.

## §. VII.

*Diuisio retentionis in praeceptiuam et permissiuam et permissiuam reuocatur.*

*Diuisio retentionis in praeceptiuam et permissiuam, quam attulit HERING in diff. mox laudata Sect. 2. §. 9. est improbanda.* Is vero per retentionem *permissiuam* intelligit eam, quam DD. alii retentionem vocant, et de qua nos (§. I.). *Praeceptiuam* vero illam esse ait, quae ex legis necessitate fit, non propter debitum, nec in securitatem retinentis, sed potius in utilitatem eius, cuius est res, vel tertii cuiusdam. Qua de causa hanc diuisionem improbandam dixerim, huius rei rationem dedi supra (§. I. Schol. 2. n. 4. et §. 3.): nimirum quia hic *debitum*, et, quae retentionis finis est, *securitas crediti* desideratur.

*Praeceptiuam exemplum.*

Vt vero magis in luce collocetur, quid HERINGIVS per retentionem *praeceptiuam* intelligat, exemplo rem illustrare iuvat. Lucius Sejo gladium suum commendat custodiendum. Vix aliquot abiere dies, et ecce accurrit Lucius, inflamptus ira et non absimilis furenti. Ardet

ocu.

oculos, spumat ore, & multa vociferatus gladium repetit, quo acceptam, quam putat, iniuriam aduersarii sanguine ac nece mox vindicaret. Hoc casu Sejus possidet rem alienam pro deposito; cessat post repetitionem gladii causa possessionis prior, et tamen gladium reddere non tenetur, quid? reddere lex vetat naturae, quippe in flagitium ac caedem ruenti. Et hic est casus, quo HERINGIVS retentionem deprehendere sibi visus est, quam *praeceptivam* vocat. Sed quis alius DD. Seium *iure retentionis* hoc facere dixerit? profecto dixerit nemo: scilicet quia non *propter debitum*, sed ex alia causa, non in suam et crediti sui, sed alienam utilitatem atque securitatem gladium retinet. Loquatur ita HERINGIVS, pace mea. Ego cum schola.

## §. VIII.

*Nec magis ad palatum est divisio retentionis in TEMPORALEM et PERPETVAM seu talem, quae fit IPSO* <sup>Retentione perpetua et temporalis quid?</sup> *IVRE, quam probat LAVTERBACH in Diss. de retentione. Sed quoniam per posteriorem reuera nihil intelligit aliud, quam compensationem, quam a retentione mi-* <sup>prior reuocatur.</sup> *ris modis differre norunt etiam ignarissimi: nos eam merito reuicimus, praesertim postquam supra (§. IV.) omnem retentionem temporalem esse demonstratum dedimus.*

## CAPVT II.

DE

IVRE RETENTIONIS  
IN STATV NATVRALI.

§. IX.

*Ratio in-  
stituti et  
ordo do-  
ctrinae.*

**H**omines in Iurisprudencia naturali considerari vel  
a) quatenus extra ciuitatem degunt, nullius ci-  
uili, quod aiunt, imperio subiecti, nullum agno-  
scentes iudicem, leges nullas, nisi quas ipsa praescrispit  
mater natura; vel b) quatenus in ciuitate viuunt, vbi  
ciuili imperio subsunt, legibus ex eodem manantibus  
parere iussi; atque illum statum *naturalem*, hunc vero  
*ciuilem* in scholis salutari, haec quidem beneuolo lectori  
tam nota esse arbitror, vt operose haec omnia eoluere,  
esse actum agere existimem, quid? in regulas artis con-  
scribenda dissertationis me peccaturum putarem, si pri-  
ma iuris naturalis elementa multa cum ambage verbo-  
rum recoquere garrulus laborarem, quippe *speciali* quo-  
dam huius scientiae themate enucleando iam occupatus.  
Quare id solum monendum duco, qua ratione praesen-  
tem doctrinam pertractare constitutum sit mihi. Nemi-  
nem fugit, iura et obligationes hominum pro diuersitate  
duplicis status mox laudati saepe non mediocriter variare,  
iustum.



inustumque non raro esse ac licitum in statu naturali, quod in ciuili prohibutum ac scelus reputatur. Hocse itaque status separari necesse est; secus distincta euadere tractatio, et scopuli erroris satis euitari nequeunt, in quibus praeter complures alios praesertim HERINGIVM fecisse naufragium in cit. Diff. Sect. I. §. 6. deprehendi, vbi iuri retentionis ex principiis iuris naturalis indistincte locum esse concedendum putat, ast (meo quidem iudicio) perperam. Quam ob rem ne eodem et nos implicemur fato, factu optimum erit, primum an et quatenus ius retentionis *in statu naturali* obtineat, examinare, id quod thema est Capitis secundi; deinde an et quatenus *in statu ciuitatis* eidem locus sit relinquendus, perpendere, id quod Capiti tertio materiam praebebit. Vbiq; tamen duntaxat ius retentionis *legale* ante oculos habebo, de testamentario, conuentionali ac iudiciali parum sollicitus, id quod semel monuisse sufficiat.

## §. X.

*In statu naturali cuiilibet permissum, priuata auctoritate medijs vti, quibus compelli morosus debitor potest ad soluendum, ita tamen, vt leniora, aeque apta, durioribus praeserantur.* Natura quilibet est obligatus ad conseruationem patrimonii sui (L. B. de WOLFF Inst. I. N. et G. §. 208.), ad quod cum etiam ea pertineant, quae ab alijs nobis debentur (IDEM §. 207.), consequens est,

*In statu naturali media priuata contra morosos sunt licita.*

vt natura quilibet obligatus sit, ad ea exigenda atque in suam crumenam cogenda, quae ab aliis sibi debentur. Iam vero quem natura obligat ad finem, eidem etiam ius dedit ad media necesse est, quippe sine quibus finis obtineri nequit (IDEM §. 46.). Ergo natura cuilibet permittit, mediis, ut quibus compelli morosus debitor ad soluendum potest. Et quoniam praeterea superioris vel iudicis auxilio id fieri nequit, utpote quos status naturalis prorsus ignorat (§. 9.), consequitur, ut priuata auctoritate hoc efficere creditor possit.

Poterat haec propositio etiam sic demonstrari. Debitor *perfecte* obligatus est ad soluendum (per hypoth.). E. et creditori ius esse debet, solutionem urgendi, debitoremque soluere cessantem, adhibitis idoneis mediis, cogendi ad soluendum (IDEM §. 46. et 80.). Per superiorem vel iudicem vero in statu naturali cogi nequit. E. priuata auctoritate ut cogi possit, reliquum fit. *Et hoc erat primum.*

Ius creditoris coactiuis mediis adigendi morosum debitorem ad solutionem oritur ex obligatione perfecta atque resistentia debitoris (per demonstr. prior. et L. B. de WOLFF §. 46. et 50. l. c.). Ergo maius esse non potest, quam quantum sufficit, ut vinci debitoris resistentia, et impetrari solutio queat: (rationatum enim amplius se se porrigere nequit, quam permittit ratio). Ergo plus qui

qui facit, eatenus sine iure agit, adeoque extra dubitationis aleam iam positum cernis, media leniora donec sufficiunt, a durioribus esse abstinendum. *Et hoc erat alterum.*

## §. XI.

*Debitor in mora existente, creditori in statu naturali permissum est, privata auctoritate ius retentionis exercere, modo eum alia media leniora, aequae tamen securae, deserviant.* In statu naturali cuius permissum, privata auctoritate mediis uti, quibus compelli morosus debitor possit ad obligationem suam explendam, modo media alia leniora, aequae apta, desiderentur (§. 10.). Atqui retentio est tale medium (§. 3.), et quidem in statu naturali, qui superiorem et iudicem nescit, privata auctoritate sumtum. Ergo in statu naturali creditori contra debitorem, in mora soluendi existentem, competit ius retentionis, etiam privata auctoritate exercendum, modo alia desint media leniora, aequae securae, solutionem ab eo impetrandi. Confirmari etiam haec propositio ex eo potest, quod natura creditori ius quoddam constituerit in bonis debitoris, vi cuius, nisi debito tempore solvatur debitum, ex iisdem sibi satisfacere possit (L. B. DE WOLFF Inst. I. N. et G. §. 705.). Ergo rem debitoris sine dubio retinere potest creditor, utpote naturaliter sibi pignori obligatam, donec pro debito satisfactum fuerit. Accedit

*In statu  
nat. retentio  
est libera.*

cedit, quod priuata pignoris capio in statu naturali sit licita, si debitor expungere debitum recusat (IDEM c. l. §. 792.). Quidni igitur et retentionem licitam esse dicamus? cum perinde sit, siue debitori tergiuersanti pignus surripiamus, siue rem eius, quam ex alia causa iam possidemus, retineamus, donec debitum solutum. Quid? quod in statu naturali bellum sit licitum contra eos, qui, quod nobis debent, praestare nolunt (IDEM §. 98.). Multo igitur magis retentio licita esse debet, utpote quae eodem nititur fundamento, et praeterea medium est bello longe humanius et minus violentum.

## §. XII.

*Transitio ad requisita Iuris retentionis.* Iam de requisitis laborandum, ad exercitium iuris retentionis iure naturali necessariis, in quibus determinandis iuris ciuillis DD. minime conueniunt, alii plura, pauciora alii laudantes, cui controuersiae dirimendae non exiguam lucem ex iis, quae mox in medium proferrentur, accessuram puto.

## §. XIII.

*Debitum sit a perfectum.* Ius retentionis iure naturali requirit  
 a) debitum, propter quod exercetur, esse perfectum. Officium humanitatis seu ius tantum imperfectum infert quidem ius petendi, neuiquam vero ius alterum iniutum adigendi, ut petito annuat, quippe quod posterius  
 foli

foli iuri perfecto est proprium (per vtriusque iuris definitiones. L. B. de WOLFF Inst. I. N. & G. §. 79. 80.) Iam vero retentio est medium, debitorem inuitum adigendi ad solutionem (§. 3.). Ergo ius retentionis semper praesupponit in eo, qui id exercere cupit, ius perfectum, adeoque et in altero obligationem seu debitum perfectum.

DD. iuris ciuiliis hoc requisitum non vrgent, hac sine dubio ratione commoti, quia Iurisprudentiae ciuiliis obiectum tantum sunt iura et obligationes perfectae, quae proinde eis etiam simpliciter *iura et obligationes* vocantur. Igitur ita comparatum est hoc requisitum, vt in Iure ciuili non sit necesse, id nominare, cum per se iam subaudiatur.

## §. XIV.

Ius retentionis requirit

b) *debitorem esse in mora, vel alias adesse periculum amittendi crediti.* Adfit hpericulum crediti. Iuris retentionis finis est securitas crediti, vtque paratior efficiatur debitor ad soluendum (§. 3.). Quodsi vero debitor iam sua sponte paratus est ad soluendum, nec vllum suspicari periculum amittendi crediti possis: vtique vterque hic finis iam est obtentus. Ergo rem debitoris possides sine causa. Ergo eam restituas, et ius retentionis cesset, oportet (per demonstr. ad §. 2.).

## §. XV.

*Debitum certum* Icti vocant, quando deberi constat; Debitum certum et liquidum quid?

C

stat;

stat; *liquidum* vero, si, quid praecise debeatur, apparet, cui aequipollens etiam illud habent, quod tale per probationem in continenti fieri potest. In casu opposito debitum *incertum* et *illiquidum* vocatur.

Ita LEYSER in Medit. ad Pand. spec. 175. Medit. 3. 4. quem secuti sunt HERING in Diff. iam laudata Sect. I. §. 14. 15. et SCHAYMBURG in Comp. Jur. Dig. L. XVI. Tit. 2. §. 9. quibuscum etiam facit B. BOHMER in Introd. in Jus Dig. Lib. XVI. T. 2. §. 16. 17. alique.

## §. XVI.

Ius retentionis requirit

Debitum  
c) sit certum non liquidum.

c) *debitum*, propter quod exercetur, esse certum; *liquidum* vero esse non semper requirit, sed potius, si rationabilis adest suspicio, fore, ut creditor incurrat periculum amittendi crediti, etiam ob debitum *illiquidum* ius retentionis exerceri potest, nisi debitor paratus sit, alio modo sufficienter cavere, se statim soluturum, quamprimum debitum ad *liquidum* fuerit perductum. Ius retentionis requirit, ut, causa possessionis priore cessante, adsit nova causa, h. e. *debitum* (2.). Ergo constare debet, alterum ei, qui ius retentionis exercere vult, aliquid debere. Pone enim, de hoc non constare; et utique debitum tollis: nam non esse, et non apparere in moralibus idem sunt. Debitum vero, de quo constat, dicitur *debitum certum* (§. 15.). Ergo ius retentionis requirit *debitum certum*. *Id quod erat primum.*

Fin.

Finge iam, debitum esse certum, circa eius vero quantitatem aut qualitatem adhuc dubium superesse; finge porro, creditorem in manifesto periculo esse amittendi crediti, atque praevidere, fore, ut debitor in terea, donec debitum ad liquidum perducatur, fiat non solvendo, neque se habiturum, ex quo redigere solutionem queat: tali profecto casu ius retentionis exerceri posse, si res aliqua debitoris in creditoris manu existat, quin affirmem, nullus dubito, hac praecipue ratione convictus, quod natura quemlibet obliget ad conservationem patrimonii sui et ad quodlibet damnum a se, quantum fieri potest, avertendum (L. B. DE WOLFF Inst. I. N. et G. §. 269. et 208.), adeoque et ad idonea media ius dederit, necesse sit, quibus nos securos reddere possimus a quavis iactura honorum imminente (vid. demonstr. ad §. 10.). Ad isthaec vero media quoniam retentio omnino referenda est (§. 3.), consequitur, ut, tali casu existente, iuri retentionis recte locus concedatur, etsi debitum nondum ad liquidum sit perductum. *Id quod erat secundum.*

Sed finge iterum, debitoris permagni interesse, ut res sibi sua restituatur, paratumque eum existere ad solvendum, simul ac debitum ad liquidum fuerit perductum, quid? etiam ad quantum satis est, cauendum solutum iri: et tunc sane, quid rei restitutionem remorari queat, non video. Tunc enim nulli periculo expositum

C 2

est

est creditum. Ergo et ius retentionis cessare debet (per §. 14.). *Id quod erat tertium.*

*Applicatio  
ad ius ci-  
vile*

*causa fa-  
cienda.*

*Obiectioni  
satisf.*

1) En causam, cur iuris civilis DD. quamvis fere omnes ad ius retentionis liquidum debitum requirant, tamen aequitatem naturalem agnoscentes, etiam ob debitum illiquidum cum SCHRADERO, qui in Tractatu de Feudis P. 2. p. 9. Sect. 2. n. 31. 32. satis prolixè hac de re disputat, ius retentionis creditori tribuant, donec idoneam a debitore cautionem, se soluturum, quamprimum debitum in liquidum transferit, acceperit, idque non tam ob L. 5. ff. de statu liberis, ad quam solent provocare, (quippe cui multa obverti possunt: loquitur enim de libertate in cuius favorem multa singularia habet ius romanum), quam potius ob manifestam, quam hoc syo docui, aequitatem naturalem, in qua tamen saepe plus praesidii quaerunt, quam debebant propter ea, quae infra cap. 3. dicturi sumus. Nimirum quod in statu naturali aequum ac licitum, id non statim et in civili pro tali habendum: diuersa enim vtriusque ratio est (§. 9.). Hoc discriminis a plerisque DD. insuper haberi infinitorum in doctrina de retentione errorum causa existit.

2) Audio nonneminem contra me ita disputantem: Compensatio requirit debitum liquidum L. B. de WOLFF Inst. I. N. et G. §. 756.) Ergo et retentio. Verum patere, vt, pace tua, negem consequentiam ac paritatem. Equidem non me fugit, etiam DD. iuris civilis hoc argumento vti, dum debiti liquidi necessitatem in iure retentionis stabilitum eunt. Ast et ab horum partibus hoc loco cum reuerentia discedere sequens me ratio iubet. Compensatio est solutio reciproca breui manu facta, vt eam vocat IDEM PHILOSOPHVS c. 1. Quod igitur in compensatione retinetur, ita retinetur, vt sit loco solutionis. Solutio vero cum fiat praecise praestando id, ad quod praestandum quis est obligatus, consequens est, vt nemo nisi ad id et tantum, ad quod et quantum est obligatus, soluendum compelli queat (IDEM §. 751.). In solutione igitur, et, quae eius loco est, compensatione ante omnia constare debet non solum de eo, an aliquid debeat, sed et inprimis quale et quantum debeat, h. e. debitum debet esse liquidum. Longe di-  
uerfa



uersa retentionis ratio est. Huius finis non est, vt sit ipsa debiti expletio, sed potius vt res retenta pignoris vicem subeat, securumque creditorem praestet de credito (§. 3.). Atqui ad hoc, vt de crediti securitate nobis comparanda laboremus, sufficit, creditum esse, atque de eo eiusque amittendi periculo constare. Liquidum vt sit, vel ideo non requirendum, quia nulla inter creditum et pignus identitas qualitatum, proportio nulla desideratur, adeo vt pretium pignoris, quoniam alium finem non habet, quam crediti securitatem, debitum in infinitum excedere possit, docente EODEM PHILOSOPHO (§. 706.). Ecce! quantum inter compensationem et retentionem intercedat discriminis, quamque lubricum, quam caducum sit ductum ab illa ad hanc argumentum, quam denique misere abutantur DD. *l. ult. §. 1. C. de Compens.*

## §. XVII.

*Ius retentionis non solum 1) propter debitum, quod iam exigere licet, et cuius intuitu debitor in mora est, exerceri potest, sed et 2) propter debitum, quod nondum exigere licet, vt puta si alter e.g. certo die se soluturum promisit, die nondum elapso; imo etiam 3) ob spem debitum iri, quae talis est, vt inuito auferri non queat, veluti si alter sub conditione suspensua promisit, conditione nondum existente, modo ad sui periculum amittendi iuris, nec aliud illius auertendi medium debitori minus molestum, aeque tamen securum praesto sit. Quod in primo casu ius retentionis locum inueniat, iam extra omnem dubitationem posuimus supra (§. 10 II.). Ad secundum quod attinet, iterum nulla se se offert difficultas. Enimvero debitum iam existit, idque certum (per hypoth.); creditor vero in periculo est amittendi crediti*

C 3

e. g.

e. g. praeuidens, fore, vt debitor veniente die sit non soluendo (per hypoth.). Ergo iure naturali permiffa ipsi sunt media, quibus securum se praestet a damno praeuifo, atque ius suum tueatur (per demonstr. ad §. 10.), permiffum ius retentionis (per demonstr. ad §. 11.). Et quamuis in §§. mox laudatis mentio fiat debitoris *morosi*, quiue iam est obligatus ad soluendum, fundamentum tamen demonstrationis, quod nimirum natura quilibet fit obligatus ad conseruationem patrimonii sui damnun- que quoduis prudenter a se auertendum, et, quod inde consequitur, etiam ius ad media habere debeat, latius patet, et huc commode trahi potest. Prodeat in medi- um casus *tertius*, qui non paulo plus difficultatis habet. Pone, Caium tibi centum aureos promiffisse, hac addita conditione: *si uiuente Gloriosissimo Imperatore S. R. I. FRANCISCO I. eligetur Rex Romanorum.* Hoc casu Caius ante, quam conditio existat, tibi non debet pro- missos centum aureos, tantum abest, vt eos exigere possis. Spes tamen adest, tibi centum aureos debitum iri, nec ea tibi inuito auferri potest (L. B. DE WOLFF Inst. I. N. et G. §. 396.). Pone porro, Caium degenerare in helluonem, facultates suas male perdentem, in comotationibus assiduam, breui destitutum soluendo esse et Codro pauperiorem. Hoc profecto casu quin de securitate iuris tui sollicito tibi esse, atque vasa argentea, quae forte apud te deposuit decoctor, pignoris loco re-  
tine.

tinere liceat, nullum mihi dubium haeret, ita rationes subducenti: Cuius ex pacto obligatus iam est ad ius, quod, conditione existente, tua tibi spes excitabit, agnoscendum, atque ad promissa tunc implenda. Iam vero quoniam nemo ab obligatione sua se liberare potest altero invito (IDEM §. 100.), consequens est, ius tibi esse non patiendi, vt Caius bona sua dissipando ab obligatione sua se liberet cum iuris tui, quod tua tibi spes excitatura est, dispendio (IDEM §. 46. 50.). Cui vero ius est ad finem, eidem quoque ad media sit, necesse est: (secus enim lex naturae sibimet contraria foret). Atqui medium maxime idoneum est retentio (§. 3.). Ergo si alius non suppetit iuris periclitantis conseruandi modus, ius retentionis licitum esse omnino debet. *Limitationes in fine §vi adiectae patent ex §. 14 et 10.*

1) Ius retentionis requirit debitum (§. 1.), et quidem certum *Obiectio- nes* [§. 15.]. Atqui sola spes debiti nondum est debitum, nedum certum, utpote eventu conditionis in ambiguo adhuc versante. Ergo ob spem tantum debitum iri ius retentionis locum non habet. Deinde finis retentionis est, vt ad soluendum compellatur morosus debitor (§. 3.). Atqui hic finis cessat, quoties alter vel nondum debet, vel saltem nondum ab eo exigi solutio potest. Ergo et retentio cessare debet. Denique compensatio fieri nequit ante lapsum termini, quo solutio facienda (L. B. de WOLFF l. c. §. 756.). Ergo idem et de retentione asserendum ob paritatem rationis. *Haec Sphinx Oedipo.*

2) Ad primum respondeo, negando, nullum adesse debitum certum. Adest omnino. Equidem de debito centum aureorum adhuc incertum est, an exiturum sit, nec ne. Illud vero debitum, quo promissor obligatus est promissario, vt ius, quod spes ei excitatura est,

igno-

agnoscat, a sua obligatione se non liberet, et spem promissarii intervertat, hoc, inquam, debitum et iam existit, et certum est, aptumque, ius retentionis fundare. Ad alterum rehero, finem retentionis non solum esse, vt morosus compellatur ad solvendum, sed et, vt creditor sibi securitatem paret crediti. Atqui huic fini iam datur locus in data hypothesi, licet debitum nondum existat, aut existat quidem, sed tamen nondum exigi solutio possit. Ad tertium fere eadem responsio facit, quam supra in Schol. 2. ad §. 16. suppeditavi. Alia nempe compensationis, alia retentionis est ratio. Compensatio species solutionis est. Iam vero antequam terminus solutionis elapsus, ad solvendum nemo cogendus (IDEM §. 751.). Ergo nec compensatio fieri ante terminum solutionis invito debitore potest. Retentionis vero finis non est, vt sit solutio, sed vt in securo creditum ponatur (§. 3.). Atqui hic finis obtinet, quamprimum adest debitum; vt exigibile iam sit, nequaquam requiritur. *Et haec Oedipus Sphingi.*

## §. XVIII.

*Retentio licita etiam ob debitum in diem conceptum et conditionatarum.*

*Ad ius retentionis non praecise requiritur debitum praesens, nec purum, sed et ob debitum futurum, in diem conceptum et conditionatum exerceri potest. Fluunt pronohaec omnia alueo ex §. antec.*

## §. XIX.

*Sine vitio possidere quid?*

*Sine vitio res ad aliquem pervenisse dicitur, si eius possessionem iure adquisiuit; cum vitio vero, si sine iure.*

E.g. fur, praedo, inuasor possessionem rei furtivae, raptae, inuasae sine vitio non habent, bene autem conductor, depositarius, creditor pignoratitius.

## §. XX.

*Ad ius retentionis requiritur*

*d) rem*

d) rem ad possessorem, qui eam retinere vult, sine <sup>Retinens</sup> vitio peruenisse, adcoque fur, praedo et eius farinae alii <sup>possideat</sup> detentores praetextu iuris retentionis ab obligatione restituendi non liberantur. <sup>d) sine vitio.</sup> Pone, Titium aureum mihi poculum furto abstulisse. Contingit, me non multo post eidem incipere decem aureos ex contractu debere. Num retinere furtum hoc casu Titius potest, donec decem, quos ipsi debeo, a me aureos acceperit? Resp. nequam potest, sed confestim reddendum, quod furtiua manus poculum tenet, nihilque praesidii in iure retentionis sceleri relinquendum, et cur non? Habe tibi rationes. Primum totus conceptus furti, (idem dic de aliis aliorum possessiones per nefas interuertendi modis,) delictum arguit, totus legibus contrariatur. Ergo poenas promeritas vt dent fures, et sana ratio et humani generis communis securitas efflagitant, tantum abest, vt patrocinium eis adferre dolus atque improbum facinus debeant. *Poenas ob maleficia solui magna ratio suadet,* GAIJ sententia est Lib. I. de V. O. l. 70. §. 5. ff. de fideiuss. Deinde is, ad quem cum vitio res peruenit, eius possessionem nactus est sine iure (§. XIX.). Ergo in momento illam reddere lex naturae iubet. Quod si non facit, in perpetua est mora, atque maligni animi notam prodit. Iam vero cuius creditori contra morosum debitorem, maleuolum praesertim animum praefereentem, natura potestatem facit, omnibus mediis vtendi, quibus suae consulere securitati, atque imminens prudenter a se

D damnum

damnum auertere possit, quem in finem ius quoque retentionis exercere nemo prohibetur (per demonstr. ad §. 10. II.). Ex his, si quid sapio, luce meridiana fit clarius, nobis, si cum vitioso possessore litigamus, ius esse, eidem debiti solutionem tamdiu denegandi, donec reddiderit, quam cum vitio habet, rem nostram. Nobis itaque si ius retentionis contra vitiosum possessorem competit, (competit vero quam certissime): quaeso, quomodo idem retentionis ius etiam vitioso possessori contra nos competere potest? Hoc profecto nihil excogitari magis absurdum potest, utpote quia sic nunquam res exitum esset habitura, si uterque ius retentionis exercere posset, neque alter alteri cedere deberet.

*Objectiones dispelluntur.*

1) Sentio, propria claua me a nonnemine vapulare, ita ratiocinante: Natura cuiuslibet licita sunt media apta ad consequendum, quod sibi ab aliis deberur (§. 10.), ad quae cum praecipue retentio sit referenda (§. 3.), consequens est, ut ius retentionis cuiuslibet creditori contra morosos debitores natura licitum sit (§. 11.). Atqui vitiosus possessor in dato casu creditor est, cui debitor soluere, quod debet, detrectat. Ergo possessori, quamuis vitioso, ius retentionis largiendum omnino est. Pone etiam, furem rem furto ablatam suo debitori restituere, et nunquid eam eidem, soluere, quod debet, recusanti, mox iterum eripere poterit, pignoris loco ut eam sibi habeat (L. B. de WOLFF Inst. I. N. et G. §. 792. et 793.)? Quid igitur obstat, quo minus et statim eam retineri posse statuamus? *Solue mihi hunc nodum.* Resp. furdo fabulam canis, mi bone! in promptu est responsio. Acquissimum equidem est, et iuri naturali quam maxime consentaneum, ut mediocrium usus concedatur cuiuslibet, quibus consequi suum a morosis debitoribus possit. Sed nunquid licita debent esse haec media? nunquid a dolo malo ac fraude, a quibus naturalis aequitas maxime abhorret, vacua?

cua? Talia vero profecto non sunt furta, spolia, rapinae. Deinde nego, eum, qui furi aut praedoni debet, morosis esse adnumerandum, dum ante soluere detrectat, quam res sibi reddita fuerit per factum ablata. Potius suo iure vitur, a crimine ac dolo purus. Et quis dubitauerit? in hac obligationum collisione meliorem eius esse conditionem debere, qui nullius sibi fraudis confcius sibi vigilat, suaeque studet securitati, nemini nociturus. Quis non potius eum condemnauerit? qui, quod alieni est dominii, per nefas arripuit, qui, quod scelus est, iusti pallio tegit, denique qui, vt moram ante omnia purget, atque impuras manus liberet a crimine, ipsius naturae dictamine admonetur. Neque hoc mihi aduersum est, quod ais, furem, furto restituto, posse debitori id mox iterum eripere, si fortasse in mora soluendi esse perseueret. Verum quidem hoc, quid tum? Certe ex eo non conficies, eadem licitum esse, rem statim retinere. Longe enim aliter tunc comparata res est. Enimuero simul ac furtum restituitur, fur talis esse definit, contra in moram debitor incidit, ex probo fit improbus, et, quae paulo ante furi, debitum exigenti, obstabat doli mali exceptio, ea iam contra debitorem incipit militare.

2) Quam mox inculcaui, iuris naturalis aequitatem etiam iura ciuilia agnoscunt. Ita enim *IUSTINIANVS in l. vi. §. vi. C. de compens. ait: Idem iura possessionem autem alienam perperam (h. e. sine iure) occupantibus compensatio non datur.* Nec obstat, hanc legem de compensatione, non de retentione loqui, ab illa vero ad hanc argumentum non valere (Schol. 2. ad §. 16. et Schol. 1. 2. ad §. 17.) Non enim dixi, hoc argumentum simpliciter esse reiiciendum, sed tunc demum, vbi diuersa est compensationis ac retentionis ratio. Atqui diuersa hic ratio non est. Sine dubio mouit *IUSTINIANVM*, quod iniquum putaret, si vitioso possessori vitium possessionis, item vis ac dolus patrocinium atque emolumentum parere possent. Hanc vero rationem etiam retentioni aeque conuenire quis non videt? Huc merito etiam illud *CANONISTARVM* traho: *spoliatus ante omnia restituendus. can. redintegrandi C. 3. Q. 1.* Erroribus igitur adnumerandum illud *GALLII L. 2. obs. 12. n. 6. assertum: etiam spoliator non teneret rem spoliatae restituere, nisi solutis prius melioramentis.*

## §. XXI.

Debitum  
connexum  
non requi-  
ritur.

*Ad ius retentionis secundum ius naturae non requiritur causa connexa* (§. 6.). Ius retentionis oritur ex obligatione naturali conservandi bona sua et inde resultante iure naturali damnum quodvis idoneis mediis a se auertendi (demonstr. ad §. 10. II.). Haec vero ratio generalis est, aequae apta applicari ad ius retentionis ex diuersa et non connexa causa, atque ad id, quod ex eadem siue connexa causa exercetur. Patet itaque, ad ius retentionis secundum ius naturae connexam causam sine ratione solida requiri.

Reprehen-  
ditur Ley-  
ser

et cauta ad  
ius civile  
applicatio  
docetur.

Igitur non possum non LEYSERI in Medit. ad Pand. Spec. 175. Med. 5. sententiam vellicare, qui LAVTERBACHIUM refutaturus hisce verbis utitur: *Verum enim vero si etiam NATURALEM rationem spectas, retentio ius aliquod ipsam rem, quae retinetur, adiciens requirit, adeoque si tale non adsit, nec exerceri potest.* Sed an ius civile debitum cum re, quae retinetur, connexum praecise postulet, alia est quaestio, quam affirmant plerique ad LL. varias maiori, quam par est, cum fiducia prouocantes, quibus dicam scripsit B. LVDOVICI in Diff. de iure retentionis ex diuersa etiam causa competente, qui tamen, dum horum defectui mederi cupit, ipse in excessu peccat, ius retentionis ex causa etiam non connexa indistincte defendens. Media via hic tutissima. Si enim lex retentionem etiam ob debitum non connexum clare permittit, lege standum est. Huc refero L. un. C. etiam ob chyrograph. pecun. et L. 26. §. 4. ff. de condit. indeb. Si vero lex retentionem restringit ad debitum connexum, vel tantum de casu, cui debitum connexum subest, loquitur, retentio ob debitum non connexum non est admittenda (vid. infra §. penult. Schol. 2. et §. ult.). Verum haec de requisitis iuris retentionis dixisse sufficiat. Contrahenda iterum sunt vela, nimum la-  
xata.

§. XXII.



## §. XXII.

*Ius retentionis expirat, quoties cessat finis retentionis* Quando ius retentionis esse  
 (§. 3.), *nec locum habet, si creditor eidem renunciauerit.*  
 Cessante fine retentionis, nulla amplius adest retentionis ratio. Ergo deest causa vltioris possessionis rei alienae. Haec vero si desideratur, ius retentionis exulat (§. 2.). Certum itaque est, ius retentionis expirare, quoties finis retentionis cessat. Et quis dubitabit, cessante fine cessare et media debere? profecto dubitabit nemo, nisi quem principium rationis sufficientis fugit. *Et hoc erat primum.*

Quodsi rei alienae detentor, cui ius retentionis competit, eidem renunciauit, ad non vtendum hoc iure alteri se obligauit (per definit. renunciat. L. B. DE WOLFF Inst. I. N. et G. §. 340.). Ex hac vero obligatione non potuit non simul alteri ius oriri non patiendi, vt detentor retentionem iam exercent. Hoc ius cum ei inuito adimi non possit, consequens est, vt ius retentionis locum non habeat, si eidem fuerit renunciatum. *Et hoc erat secundum.*

Ex priore propositione vel me non monstrante coniciet, ius retentionis expirare, debito, cuius intuitu exerceri poterat, quoque modo extincto, puta per solutionem, compensationem, in solutum dationem, acceptilationem, pactum de non petendo etc. vt et per confusionem. Haec omnia enim faciunt, finem iuris retentionis cessare, id quod terminos intelligenti per se clarum est.

## §. XXIII.

*Ius retentionis ad gentes applicatum.*

*Ius retentionis inter gentes quoque locum habet; et quae quoad requisita et modos finiendi iuris retentionis haecenus dicta, etiam ad ius retentionis inter gentes exercendum applicari possunt.* Gentes, quod ad ius retentionis attinet, ut homines singulos in statu naturali viuentes non inconcinne consideramus (L. B. DE WOLFF Inst. I. N. et G. §. 977.). Enimvero gentes tenet naturalis obligatio non minus, ac homines singulos, ad se suaque conseruanda, et damna quaeuis prudenter propellenda. Ergo et ius eis esse ad media debet, quibus, quod suum est, atque ab aliis gentibus sibi debetur, consequi, tergiuersantes ad explendam obligationem adigere, quantaeque sufficit, securitatem sibi parare possint. (vid. demonstr. ad §. 10.). Retentio vero est tale medium (§. 3.). Dubio igitur caret, ius retentionis inter gentes aequale locum sibi vindicare, atque inter singulos homines in statu naturali viuentes. (vid. demonstr. ad §. 11.). *Ecce primum.*

Principia, quibus supra de requisitis iuris retentionis modisque illius finiendi inter homines singulos ratio cinantes vsi sumus, generalia sunt, atque ita comparata, ut et gentibus conueniant, id quod singulas demonstrationes, singulis paragraphis subiunctas, quas hic repetere non vacat, examinanti statim parebit. Quid ergo impedit, quo minus ea, quae supra de hac re dicta, etiam ad gentes applicemus? *Ecce secundum.*

Si

Si itaque e. g. gens victrix militem aut castrum, bello captum, retinet, donec victa, promissi sui immemor, praestiterit, ad quod praestandum obligata, iure agit. Discedite iam in statu naturali viuentes, ciues locum occupate. Sit itaque

### CAPVT III.

DE

## IVRE RETENTIONIS IN STATV CIVILI.

§. XXIV.

**C**oluisse homines, variis necessitatibus adactos, in ciuitates, et, qui pro communi salute conseruanda atque tuenda in quavis ciuitate excubarent, sibi constituisse, translata in eos potestate, publicis legibus, quae ad hunc finem obtinendum necessaria atque proficua visa fuerint, ordinandi; ciues vero hoc pacto necessitatem hisce legibus parendi sibi imposuisse; atque ex hoc instituto natum esse ciuile imperium, natos superiores et subditos, passimque deliquium veterem illam libertatem naturalem, haec quidem ex Compendiis iuris naturalis tam nota sunt, quam quae notissima, hoc loco tantum in memoriam reuocanda, vt sequentia facilius capi ac intelligi queant Plura de hac re vide apud L. B. DE WOLFF in Inst. I. N. et G. P. III. Sect. I. Cap. I. et Sect. II. Cap. I.

*Status ciuilis*

§. XXV.

## §. XXV.

Potestatis  
iudiciariae  
ac iudicio-  
rum origo.

*Cum imperio civili in superiorem quoque translata est potestas iudiciaria et ex hac emanans ius iudicia constitutum.* Cum imperio civili in superiorem translatum est ius, omnia ea determinandi, quae ad publicam civitatis tranquillitatem atque securitatem conservandam ac promovendam pertinent (§. 24.). Atqui ad hanc omnino pertinet, ut suum cuius quiete sibi habere, ab aliorum iniuriis ac defraudationibus defendi, et, quod ab iis debetur, consequi sine iurgio, sine rixa, sine vi possit. Ius ergo esse superiori debet, controuersias civium dirimendi, morosos debitores ad solutionem cogendi, et, (verbo ut omnia complectar), modis omnibus efficiendi, ut suum cuius tribuatur. In hoc vero consistere *Potestatem iudiciariam* cum perspectum omnes habemus, consequens est, ut cum civili imperio etiam iudiciaria potestas, utpote illius pars, in superiorem simul sit translata. *Et hoc erat primum.*

Cui ius est ad finem, ad media quoque, sine quibus finis obtineri nequit, esse debet. Iam vero fieri non potest, ut superior, tanta existente subditorum multitudine, tantaque pressus publicarum mole curarum ius omnibus ipse dicat. Alios ergo ut in vicem suam substituat, necessum habet, ius reddituros, quibus opus erit. Tales vero cum *Iudices* appellentur, palam est, ei, in quem imperium civile translatum, simul factam esse

esse iudicia constituendi potestatem. *Et hoc erat secundum.*

## §. XXVI.

*Sibi ius dicere dicitur, qui sine superioris vel iudicis auxilio contra inuitum ius suum persequitur.* Sibi ius dicere quid?

Cave igitur, putes, praecise vim requiri, vbi nobis ipsi ius dicimus. Definitio-  
Potius eam quoque *sibi ius dicere* in iure praedicamus, qui debitori suo, nem L.L. et  
soluere nolenti, sine iudice clam pignus surripit, tametsi nulla vi adhi- DD. con-  
bita. Et legatarium, infcio et inuito herede legatum, licet sine vi, pro- firmane.  
prio tamen ausu occupantem, in poenam ius sibi dicentium incidere et  
DD. affirmant, et leges volunt. Vide v. BÖHMERS Diff. de poena ius  
sibi dicentis sine iudice cap. I. §. 15. ibique in hanc rem leges. Omnium  
maxime arridet L. 13. ff. quod met. caus. Ibi CALLISTRATVS ex De-  
creto D. MARCI haec verba recitat: *Optimum est, ut, si quas putas te*  
*habere petitiones, actionibus experiaris. Cum Marcianus diceret, vim*  
*nullam feci: Caesar dixit, tu vim putas esse solum, si homines vulneren-*  
*tur? vis est et tunc, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per*  
*iudicem reposcit. Quisquis igitur probatus mihi fuerit rem ullam debi-*  
*toris, vel pecuniam (debitam) non ab ipso sibi sponte datam, sine vilo iudice*  
*temere possidere, vel accepisse, isque sibi ius in eam rem dixisse; ius*  
*crediti non habebit. En duo ad conceptum ius sibi dicentis requisita,*  
a) vt ius suum quis persequatur *sine iudice*. Ait enim ICtus: *non*  
*per iudicem reposcit, item: sine vilo iudice;* b) vt hoc fiat *debitore inuito,*  
id quod innuunt verba: *non ab ipso* (scilicet debitore) *sibi sponte*  
*datam.*

## §. XXVII.

*Constitutis in ciuitate iudiciis, nemini licet sibi ius dicere, nisi vel a) auxilium superioris vel iudicis haberi ne-* Sibi ius dicere regu-  
*queat, tum.* lariter prohibi-

E

queat, tum.

*queat, vel b) superior ex iusta causa in certis casibus id permittat.* In ciuitate cum ciuili imperio potestas quoque iudiciaria in superiorem est translata (§. 25.). Iam vero ciues, potestatem iudiciariam in superiorem transferentes, non potuerunt non pristini illius, quod in statu naturali habuerunt, iuris priuata auctoritate ius suum persequendi exercitio renunciare, (id quod ex contradictionis principio luculentum fit.). Atqui iuris, cui semel renunciatum, vsus est illicitus, quia pacto contrarius. In manifestis itaque est, in ciuitate nemini licere sibi ius dicere. Accedit, quod ciuitatis maxime interfit, esse iudicia, per quae suum cuius tribui possit. Haec enim si tollis, publicam tollis tranquillitatem, amplissimam aperiens viam rixis, spoliis, caedibus, latrocinis, de quibus satis testantur turbulenta illa Germaniae tempora, quibus ob iudiciorum bene ordinatorum defectum inuisum illud ius manuarium, ius et aequum cum publica securitate penitus euertens, deuastauit omnia. In his vero, quae ad communem pertinent ciuitatis salutem, institutis ac legibus superioris non parere nefas est, ac fini ciuitatis directe contrarium (§. 24.). Haec autem superioris, iudicia publicae tranquillitatis causa constituentis, est voluntas, hic finis, vt nemo ciuium priuato ausu deinceps ius sibi diceret, nemo sine iudicis ope, quam vult omnibus aequae patere, persequeretur, quod ab aliis sibi putat deberi. Quis ergo non videt, ciuium  
uium

uium esse, saluberrimo iudiciorum instituto se submittere, atque ab omni priuata iuris sui persecutione penitus abstinere? Et hoc est, quod L. B. DE WOLFF Inst. I. N. et G. §. 1028. ait, *in Republica iudicia succedere in locum belli priuati.* GROTII de I. B. et P. Lib. II. cap. 7. §. 2. n. 2. sententia haec est: *legibus ciuilibus scimus ueritum esse, sibi ius dicere. Imo etiam si lex ciuilis hoc non directe prohiberet, ex ipsa tamen iudiciorum institutione sequeretur, hoc esse illicitum.* Consentit VASQVIVS Lib. I. Controv. Illustr. c. 12. n. 3. *Vt nemo, inquit, in causa sua iudicet, vel ius sibi dicat, est regula iuris non solum ciuilis, sed etiam naturalis.* Placent etiam uerba ICTI: *non est singulis concedendum, quod per magistratum publice possit fieri, ne occasio sit maioris tumultus faciendi* L. 176. ff. de R. I. En demonstrationem regulae.

Ex ciuitatum instituto patet, ciues singulos facultati, ius suum contra morosos debitores perseguendi, neuiquam renunciaffe, sed eius tantum exercitium in manum superioris resignasse. Quare si superioris vel iudicis auxilium haberi nequeat, (puta tempore iustitiae, vel si debitor est in fuga, vel alias in mora periculum), iuris sui executio superiori resignata non intelligitur. Ergo tunc statum naturalem redire necesse est, et, quod alias foret illicitum, iam ius sibi dicere fas erit. Egregie itaque GROTIVS c. l. Libr. I. cap. 3. §. 2. n. 1. *Certe quin restricta multum sit ea, quae ante iudicia constituta fuerat,*  
 E 2  
 licen.

*licentia, dubitari non potest. Est tamen ubi locum nunc quoque habeat, nimirum ubi cessat iudicium. Nam lex vetans sine iudicio suum consequi, intelligi commode debet, ubi copia est iudicii. En primam limitationem.*

Quin superior, iusta causa suadente, possit in certis casibus priuatam iuris sui persecutionem, modicam praefertim, et nullas turbas excitaturam, priuatis permittere e. g. ad lites forenses, quae alias forent infinitae, cum maximis saepe litigantium sumibus coniunctae, praescindendas, neminem dubitare autumo. Hoc vero si permittit, ius nostrum sine iudice persequimur lege permittente, modo ab excessu nobis caueamus. Ergo tunc ius nobis dicentes licite agimus, nihil in superiorem, nihil in ciuitatem peccamus. *En limitationem secundam.*

## §. XXVIII.

*Retentione  
ius sibi dicitur.*

*Qui ius retentionis sine iudice exercet, sibi ius dicit.*  
Qui ius retentionis exercet, rem, causa possessionis priore quamuis finita, debitori tamen non restituit (§. 1.), hac via compulsurus morosum atque amicas interpellationes flocci pendentem ad soluendum (§. 3.). Ergo qui ius retentionis exercet, id agit, vt ius suum persequatur contra inuitum, eidemque denegatam debiti expletionem extorqueat, sumto sibi pignore. Quod si igitur hoc sine iudice vel superiore faciat, in numerum sibi ius dicentium sine dubio incidit (§. 26.).

Ne



Ne quid nimis dixisse videar, atque ab usu loquendi inter ICtos *LL. et DD. suffragantur.* consueto alienum, iuvar DD. assertis, quae mox in medium protuli, verba confirmare. CLVDIVS in Tr. de conditione indebiti cap. 7. n. 66 haec verba habet: *Retentio regulariter est prohibita; est enim species EXECUTIONIS PRIVATAE, quam creditor propria auctoritate facit.* Eodem retentionem modulo metiuntur. COLERVS in Tr. de process. execut. P. I. cap. 2. n. 184. 188. et SCHAVMBVRC in Comp. Iur. Dig. Lib. XVI. tit. 2. §. 8. in fin. Et certe privatam pignoris captionem ICti ad casus referunt, quibus ius sibi dicitur. Vid. V. BÖHMER c. l. cap. 1. §. 15. num. 3. Quidni igitur et retentionem referamus? Quid enim distat, creditori privata auctoritate pignus eripere, et rem eius, quam restituere debebamus, priuato ausu retinere? Vtroque casu debitore inuito ipsius rem nobis habemus in crediti securitatem, vtroque ius nostrum sine iudice persequimur. Sane D. MARCO in iam laudata L. 13. quod met. causf. non solum is vim facere, et in poenam ius sibi dicentiam, nimirum priuationem crediti, incidere videtur, qui pecuniam debitam, non a debitore sibi sponte datam, accepit, sed et is, qui rem debitoris sine iudice temere possidet, h. e. eam (quamvis a debitore sponte datam), causa tamen possessionis finita, non restituit. Adde, quod in L. 34. C. locar. rerum alienarum conductores eadem iuris sibi dicti poena ad similitudinem inuestoris alienae possessionis coercantur, si domino eas recuperare volenti non restituerint. Vid. etiam Nov. 134. c. 7.

## §. XXIX.

*Constitutis in ciuitate iudiciis, ius retentionis privatae Retentio auctoritate exercere secundum ius naturae illicitum est, nisi regulariter prohibita, si vel a) per superiorem aut iudicem ius nostrum persequi nequeamus, vel b) leges ciuiles id permittant.* Constitutis in ciuitate iudiciis, illicitum est, ius sibi dicere (§. 27.). Atqui ius sibi dicit, qui ius retentionis privatae auctorita-

te exerceat (§. 28.). Ergo, constitutis in ciuitate iudiciis, illicitum est priuata auctoritate ius retentionis exercere. *Et hoc erat primum.*

Ius sibi dicere in statu ciuili licitum est, quoties per superiorem aut iudicem ius nostrum consequi nequimus, vel publicae leges id permittunt (§. 27.). Ergo et ius retentionis, utpote per quod ius sibi dicit, qui id exerceat (§. 28.), duobus hisce casibus licitum esse debet. *Et hoc erat secundum.*

*Laudatur*  
SCHAVM-  
BYRG,

1) Rectissime itaque SCHAVMBYRG c. I. §. 8. ius retentionis facultatem vocat lege concessam, hac ratione addita: *legis autem auctoritate ideo opus erat, ne retinens sibi ipse ius dicere uelle uideretur.* Hisce uerbis profecto satis perspicue innuit B. Vir, usum iuris retentionis, nisi legibus ciuilibus munitum, esse illicitum, et ad casus iuris sibi dicti prohibitos referendum.

*refutatur*  
HERING.

2) Non aequae a nostris partibus stat HERING, qui in *Diss. de Retentione in deposito licita*, Sect. I. §. 6. pro aequitate naturali iuris retentionis militat, contra nos sequentem in modum disputans: Iure naturae unusquisque ad conseruationem sui, ergo etiam ad acquirendas opes, utpote sine quibus uita conseruari, et suauiter traduci nequit, est obligatus. (Haecenus bene.) Ergo nemo cogendus, ut bona sua, uita conseruandae suauiterque traducendae causa parta, alteri gratis relinquat, sed potius quouis modo licito ea persequi quilibet potest. Resp. utique nemo cogendus, ut alteri bona sua gratis relinquat, sed ea persequi quouis licito modo quilibet potest. Ast nego, in ciuitate, ubi iudicis auxilium omnibus patet, priuata auctoritate sibi ius dicere esse modum licitum, ius suum persequendi. Sed pergit Aduersarius Sect. II. §. 5. Qui, quod nobis debet, denegat, ius nostrum interuertere, adeoque nos laedere cupit. Atqui ad laesiones auertendas quilibet

libet legitimo modo sibi prospicere potest. Ex hoc consequitur, ut in re debitoris tamdiu ius retentionis nobis competat, donec ab eo, quod debet, finis consecuti. Quid ad hoc? Resp. iterum, negando, ius retentionis in statu civili esse modum *legitimum* laesionem auerendi, sed iudicem, exceptis duobus casibus in §vo nostro commemoratis, esse adendum propter ea, quae (§. 27.) demonstrata legimus. Praevидit Vir acutus hanc responsionem, quam ob rem eidem obviam iturus, Sect. I. §. 11. negat ac pernegat, retentionem esse speciem iuris sibi dicti, per consequens eam ex hoc capite a nobis perperam damnari. Quod vero non sit species iuris sibi dicti, ex eo patere, inquit, quoniam ius retentionis exercens causam controuersam propria auctoritate non decedit, sed hoc tantum agit, ut rem eoque e sua possessione non dimittat, donec, quod sibi debetur, obtinuerit; adeoque restitutionem rei non plane tollit, sed tantum differt. Hactenus HERING. Nos contra, non eum tantum ius sibi dicere, qui proprio Marte controuersiam decedit, aut restitutionem rei plane tollit, sed eum etiam, qui sine iudice extorsurus solutionem, rem debitoris sui temere detinet, privata audacia eius possessionem domino denegans, exemplis, legibus ac DD. testimoniis confirmatum dedimus supra §. 26. et 28. praesertim in scholiis. Denique alii aequitatem crepant naturalem, cui obesse putant, si quis, morosum habens debitorem, per diuturnae litis molestiam et multo cum sumtu potius, quam per placidam retentionem consequi, quod sibi debetur, necessum habeat. Verum hi aequitatem fingant, ubi nulla est. Aequum profecto in Republica dici nequit, quod eiusdem tranquillitati ac iudiciorum fini contrarium. Sufficit, per iudicem et ipsum debitum et litis impensas, si quas facere ob debitoris improbam moram oportuit, consequi nos posse. Ad statum naturalem haec aequitas ableganda; in civili frustra laudatur.

### §. XXX.

*Leges civiles, quae ius retentionis permittunt, non temere a casibus a legislatore expressis ad non expressos sunt extendendae.*

*Leges de retentione strictè sunt interpretandae.*

*tendendae.* Quoniam haec propositio vexatissimam inter DD. quaestionem tangit, veniam dabis, benevole Lector, si in ea, ex primis principiis eruenda, iustae breuitatis limites excedo. Omnis perfectio generatim consistit in consensu variorum cum regula, atque eo fit maior perfectio, quo magis regulae specialiores iterum in eo consentiunt, quod per eandem generaliore[m] atque ultimam omnes determinantur, omnes ad eandem suavi quodam ac continuo nexu collineent. Hunc igitur consensum si tollis, perfectioni aliquid decedat, necesse est. Tollitur vero per exceptiones a regula. Hae ergo, quantum fieri potest, vitandae, et si quas fieri collisionis necessitas iubet, tam modicas eas esse oportet, quam per praesentis collisionis rationem licet. (Super his omnibus videatur iterum iterumque laudatus L. B. DE WOLFF in Ontologia Germ. §. 152. §. 162. sqq.). Applicata haec ad ciuitatem. Huius perfectio consistit in convenientia actionum externarum ciuium cum legibus, et legum singularum cum suprema illa cuiuscunque ciuitatis lege, *salute* nimirum *publica* (IDEM Inst. I. N. et G. §. 976.). Huic igitur supremae legi quicquid non conuenit, imperfectionem ciuitati adfert, a superiore, cuius est, publica salute nihil prius habere, atque in ea pro viribus tuenda curas omnes desigere, modis omnibus extirpandum. Et quodsi ex iusta collisionis causa tale aliquid admittendum, angustissimis vt illud finibus  
in

includatur, nec ultra, quam collisionis necessitas postulat, extendatur, et regula exceptionis et legislatoria prudentia efflagitant. Quam ob rem sicut eiusmodi leges, exceptionem a suprema illa cuiusvis ciuitatis lege inferentes, oportet esse parcissimas, ita et, si extent, stricte eas esse accipiendas, nec ad casus in iis non expressos temere extendendas, ex eadem ratione consequitur. Dixi: *non temere* h. e. nisi de contraria legislatoris voluntate vel ex eiusdem verbis, vel ex collisionis ratione aperte constet. Certe *in dubio* quilibet Princeps praesumendus est, a prima illa ciuitatis lege, salute publica, minus recessurus. Venio ad ius retentionis. Hoc qui exercet, ius sibi dicit (§. 28.). Ab hoc igitur maxime abhorrent ciuitatum instituta, tanquam medio ius suum persequendi priuato, noxio et publicae saluti inimico (§. 27.). *Nihil est exitiosius ciuitati, nihil tam contrarium iuri et legibus, nihil minus ciuile et humanum, quam composita et constituta Republica quidquam agi per vim, CICERONIS* effatum est, Cedro dignum Lib. III. de LL. Vim vero leges vocant, *quoties quis id, quod debet sibi putat, non per iudicem reposcit d. L. 13. ff. quod met. caus.* Ex haecenus dictis, si quid sapio, per aperitissimam consequentiam fluit, leges ciuiles, quae ius retentionis permittunt, a casibus a legislatore expressis ad non expressos non temere esse extendendas.

F

I. Et

*Famosa  
controversia tangitur, et*

*vera sententia*

*cum ansa  
differantia  
nis laudatur.*

*Leges obstantes  
explicentur,  
ac reselluntur.*

1) Et iam, ni fallor, cernis, in quam eundem sententiam sit in celebratissima illa atque maxime controversa quaestione: *an ius retentionis legale tantum locum habeat in casibus in iure expressis?* Negativam tenent plerique, aequitatem naturalem in ore ferentes, sed statum civitatis a naturali distinguere oblitii, cuius distinctionis neglectus quantos in iure iam errores pepererit, fere incredibile est. Magis propitiam experiuntur Themidem, affirmativae qui subscribunt, et subscripsit inter alios Vir incomparabilis D. DANIEL NETTELBLADT in Syst. Elem. univ. Iur. pos. Tom. 2. §. 294., magis eam illustrans atque confirmans in egregio Tractatu de *Deposito irregulari*, in Fridericiana nostra superioris semestri in lucem edito §. 67. et 68. Ibi hanc sententiam ex iure naturae hauriendam esse asserit, et tanquam lemma praesupponit, idque iure merito optimoque. Mihi, ut fatear, ille locus ansam praebuit, de hoc themate ex principiis iuris naturalis in praesenti dissertatione ex instituto dicendi, probe gnaro, quam eius usu in Iure civili carere nequeamus, quamque in compendiis iuris naturalis frustra quaeratur.

2) Vt vero omnia remoueam, quae obstare possint, quo minus tuum in hac re assensum impetrem, iuvat ante omnia illarum vim legum frangere, in quibus ius retentionis *generaliter* concessum se inuenisse, nonnulli et sibi persuasum habent, et aliis persuadere cupiunt, quod si veritati esset consentaneum, nostra regula in nostro iure profus foret inutilis. Ducas allegant, nimirum l. 20. ff. de acqu. vel amit. poss. et l. 12. ff. de vi et vi armat. Posteriores praecipue nobis obuertit LEYSER Spec. 175. in fine, his verbis: *Dicunt aliqui, retentionem non aliter, quam in casibus iure expressis exerceri posse; sed reselluntur ex l. 12. de vi et vi armat., quae eam generaliter permittit.* Inspiciamus utramque legem. Prior ita se habet: *si quis rem, quam vendendam dederat, vendiderit, emptorique tradi iusserit, nec ille tradiderit, alias videbitur possessione dominum interverrisse, alias contra.* Nam nec runc quidem semper dominus amittit possessionem, cum repositi ei commodatum non redditur: quid enim, si alia quaestiam fuit iusta et rationabilis causa non reddendi, non utique ut possessionem eius interverteret? Ecce! aiunt adversarii, ius retentionis concessum ob quamvis iustam et rationabilis

*stabilem causam.* Sed resp. ex hac lege contra nos nihil probari, modo mentem MARCELLI, cuius haec verba sunt, probe calleamus. Nimirum noti iuris est, nos possessionem rei nostrae amittere posse, si quis alius, corpore eidem insitens, nos, in possessionem corporalem vel per nos ipsos vel per alium ingredi volentes, resistentia et contradictione sua repellat. *l. 6. §. 1. l. 15. l. 25. §. 2. ff. de acqu. vel amit. poss. l. 1. §. 24. l. 18. pr. de vi et vi arm.* Iam vero in lege nostra sistitur casus, quo dominus rem alii commodatam vendidit, et commodatarium emtori tradere iussit. Contigit, vt commodatarius rem emtori tradere, eumque in possessionem admittere recusaret. Querebatur, an hac commodatarii resistentia possessio domini (ciuilis vtique, et quae in solo animo consistit *l. 1. §. 9. et 24. de vi et vi armata*), amissa ac interuersa dici possit, nec ne? Et MARCELLVS respondit, *alias* (h. e. interdum) *videri dominum possessione interuersum, alias* (interdum) *contra.* Nimirum distinguendum esse, ait ICTUS, an commodatarius ideo emtorem non admisserit, vt domini ciuilem possessionem interverteret, sibi que eam arrogaret; an vero id non fecerit animo ciuilem possessionem domino denegandi, sed potius ex alia quadam iusta et rationabili causa e. g. quia forte vsus, ad quem res commodata, nondum finitus. Et illo casu MARCELLVS, possessione dominum excidisse, statuit, non item hoc, id quod sine dubio sibi voluit verba: *Nam nec tunc quidem semper dominus amittit possessionem, cum repositi ei commodatum non redditur.* Casum vero, quo dominus possessionem ob denegatam restitutionem non amittit, mox indicat ICTUS, nimirum si commodatarius commodatum retinet, non vt possessionem domini interverteret, sed ex alia iusta et rationabili causa. Et haec est genuina legis interpretatio. Verum nullam ego generalem iuris retentionis concessionem in ea reperio. Neque enim in eo est MARCELLVS, vt definiat, an commodatarius ius retentionis habeat, nec ne; sed potius hunc sibi scopum praefixit, vt quaestionem: an et quando ob resistentiam eius, qui naturaliter rem possidet, possessio ciuilis domini interuersa dici possit? dirimat. Quid ergo haec lex ad ius retentionis? Et quod si dem, hanc legem esse probantem iuris retentionis: ea tamen de commodato tantum loquitur. Quo igitur

tur iure aduersarii concessionem iuris retentionis vniuersalem ex ea fin-  
 gunt? praesertim vbi alia omnia legimus in *l. vlt. C. commod.* Ibi: *praer-  
 textu debiti restitutio commodati non probabiliter recusat.* Certe in  
 hac lege omnis commodati retentio simpliciter prohibetur. Denique  
 verba: *quaelibet iusta et rationabilis causa* nobis minime aduersantur.  
 In statu enim ciuitatis tunc demum iusta et rationabilis causa iuri re-  
 retentionis subest, si vel iudicis auxilium haberi nequeat, vel clara lege  
 retentio sit permessa (§ 29.). Atqui talis lex neququam est illa, quam  
 mox explicauimus, quippe quae nullibi innuit iuris retentionis genera-  
 lem quandam concessionem. Vides igitur, quam turpiter si sibi impo-  
 nant, qui ab hac lege pro vniuersalitate iuris retentionis aliquid patro-  
 cinii emendicare conantur. Eiusdem fere tenoris est *lex 12. ff. de vi et  
 vi armata*, quae itidem MARCELLI est, et ad quam maxima cum  
 fiducia prouocat LEYSER. Ibi exhibetur casus, quo dominus fundum  
 locatum vendidit, emtorique tradi iussit. Sed colonus eo prorsus mo-  
 do, quo in priori casu, emtorem, in possessionem fundi emti iturum,  
 non admisit. Quaerebatur, an domino contra colonum *interdictum  
 vnde vi* competeret, nec ne? Et respondit MARCELLVS, *colonus  
 locatori interdicto vnde vi obstructum fore*, quippe quem deiecit tunc  
 videretur, *cum emtori possessionem non tradidit*, hac tamen limita-  
 tione addita: *nisi forte propter iustam et probabilem causam id fecis-  
 set*. Nimirum interdictum vnde vi ei demum competit, qui actu  
 e possessione deiectus est, *l. 1. §. 3. et 45. eod.* Dubitabatur vero  
 hoc casu, an dominus a colono de possessione ciuili deiectus dici  
 posset, nec ne? Et ICTVS eodem prorsus modo hancce dubitatio-  
 nem resoluit, quo in casu superiori. Vnde ex hac lege tam parum  
 generalis quaedam concessio iuris retentionis extorqueri potest, quam  
 ex illa priore, nec profecto, si extorqueri posset, ea LEYSERO fa-  
 veret. Tunc enim nescio, qua ratione saluare queat, quae paulo ante  
 spec. cit. Medit. 5. defendit, nempe *retentionem in debitis tantum con-  
 nexis locum habere*. Si enim retentio in *l. 12. de et vi armat.* per-  
 mittitur, vt ait, *generaliter*: quommodo in debitis tantum *comexis* lo-  
 cam habere potest? Quae praeterea obiici possent, leuia sunt, et iam a  
 Cel. D. NETTELBLADT l.c. in sanum abire iussa.

3) De-



3) Denique vt tuae expectationi nullatenus desim, placet huius *vsus do-*  
*regulae applicationem in Iure nostro duobus exemplis reddere facilio-*  
*rem. Primum extat in L. 14. ff. de dol. et mer. excep.* quae ita se habet: *Interpreta-*  
*Paulus respondit, eum, qui in alieno solo aedificium extruxerit, non* *tionem le-*  
*alias sumtus consequi posse, quam possideat, et ab eo dominus soli rem* *gum doce-*  
*vindicet: scilicet opposita doli mali exceptione.* Nimirum quoties  
 quis in alieno solo aedificat, aedificium cedit solo seu domino soli  
 L. 7. §. 12. ff. de acq. rer. domin. Sed quaerebatur, an aedificans  
 a domino soli possit recuperare sumtus in aedificium factos? Et PAV-  
 LVS respondit, distinguendo, an aedificator aedificium possideat,  
 nec ne. Si non possideat, ait, eum sumtus consequi non posse: sin  
 possideat, consequi eum sumtus posse, opposita domino soli, aedifi-  
 cium vindicanti, exceptione *doli mali*, qua exceptione sine dubio  
*ius retentionis* indicatur. Haec igitur lege continetur haec propo-  
 sitio: *aedificans in solo alieno, si possidet aedificium, habet ius reten-*  
*tionis, donec dominus soli, vindicans aedificium, resuderit impensas in*  
*id factas.* Adeoque ius retentionis ob *sumtus in aedificium, quod*  
*retinetur, factos a PAVLO* conceditur h. e. ob debitum *connexum* (§. 6.).  
 Pone iam, dominum soli, sumtibus in aedificium factis refutis, aedifica-  
 tori adhuc ex alia causa, non connexa, in aere esse, an aedificator  
 etiam hoc casu ius retentionis habeat? Non ausim ego per inter-  
 pretationem huius legis extensiuam id affirmare. Sunt enim, vt iam  
 ostensum, eiusmodi leges *strictae* accipiendae: nec omnino par est  
 debiti connexi et non connexi ratio. Nam qui ob debitum con-  
 nexum rem retinet, eoquod e. g. in eam fecerit impensas, quodam-  
 modo et ex parte rem suam retinet, id quod de retentione ob de-  
 bitum non connexum dici nequit. Ergo maior adest ratio pro *reten-*  
*tionem ob debitum connexum, quam non connexum.* Alterum  
 exemplum praebet L. 5. pr. ff. de *impens. in res dot. fact.*, vbi *im-*  
*pen- sae necessariae, (a marito in dotem factae), dotem minuire dicun-*  
*tur, ita vt maritus possit manere in rerum (dotalium) detentatione,*  
*donec ei satisfiat, (nimirum de impensis in dotem factis).* Ergo  
 VLPIANVS marito ius retentionis concedit in rebus dotalibus, do-  
 nec

nec ei impensae necessariae, in eas factae, restituantur, id quod etiam PAVLVS dicit in L. 56. §. 3. ff. de iure dot. Capiendum tamen hoc est, si dos in speciebus consistat; non, si in quantitate. Si enim hoc: dos deminuitur ipso iure (i.e. tunc compensationi locus est, non retentioni (§. 8.)), vt idem VLPPIANVS ait in d. lege his verbis: *ubi ergo admittimus deminutionem dotis ipso iure fieri? ubi non sunt corpora (species), sed pecunia (quantitas): nam in pecunia ratio admittit, deminutionem fieri (scilicet ipso iure et per modum compensationis, utpote quae in speciebus locum non habet, sed in quantitatibus et generibus tantum l. 18. pr. ff. de pignor. act.)* His praemissis, quaeritur, an marito per hanc legem etiam competat retentio ob debitum cum re dotali non connexum, sed ex alia causa, quam ex causa impensarum, in dotem factarum, natum? item, an etiam ob impensas viles in corpora dotalia factas possit ea retinere? Ego puto, quod non, ex ea ratione: quia retentio in ciuitate irregularitatem sapit, et species est iuris sibi absque iudice dicti, et sic a casibus in lege expressis ad alios non expressos non extendenda, quam regulam, nimirum *leges, ius retentionis continent, stricte accipiendas esse, ipsae etiam leges probant.* VLPPIANVS enim in d. l. 5. pr. sua verba stricte et de eo tantum casu, quo non ob aliud debitum, quam ob impensas in dotem factas res dotalis retinetur, capienda esse, ipse satis inculcat his verbis: *Hoc de his impensis dictum est, quae in dotem ipsam factae sunt: caeterum si extrinsecus, non imminuent dotem.* Et IUSTINIANVS noster in L. vi. §. 5. vers. sed nec ob impensas C. de rei uxor. act. suo exemplo nos docet, leges, quibus retentio indulgetur, non esse extendendas, dum, Ius Pandectarum de retentione ob impensas necessarias, in dotem factas, interpretaturus, id ad impensas viles minime trahendum esse asserit, iubens maritum harum intuita actione mandati vel negotiorum gestorum esse contentum, prout nimirum impensae vel cum voluntate uxoris factae, vel non. Hem strictos legum de iure retentionis interpretes VLPPIANVM ET IUSTINIANVM! Hos decet, atque oportet imitari.

## §. XXXI.

*Si leges ciuiles ius retentionis permittunt, quoad eius requisita et modos, quibus expirat, eadem valent, quae supra Cap. II. a §. 13. usque ad §. 23. de iure retentionis in statu naturali demonstrata, nisi vel legislatoris voluntas, vel talium legum stricta interpretatio aliud postulet.* Enimvero quae de requisitis iuris retentionis et modis, quibus illud expirat, in statu naturali docui, ea vtique non ex peculiari status naturalis ratione, sed ex principiis eiusmodi duxi, quae generalia sunt, et statui ciuili aequae ac naturali commoda. Igitur et conclusiones ex iis confectae in statu ciuili non minus, quam naturali admitti debent. *Id quod erat primum.*

Quoniam vero ius retentionis in statu ciuili regulariter locum non habet, nisi ex superioris voluntate ac indultu (§. 29.), et praeterea leges, quibus id permittitur, strictae sunt interpretationis (§. 30.): consequens est, vt in eiusdem requisitis aestimandis voluntatis legislatoris et regulae strictae interpretationis quam maxime ratio sit habenda. *Id quod erat secundum ac tertium.*

E. g. si superior, ius retentionis permittens, id manifeste adstrinxit ad debitum purum aut liquidum, vel si lex de debito puro ac liquido tantum loquitur, retentio propter debitum conditionatum, in diem conceptum aut illiquidum vtique erit illicita, quamuis secundum ius naturae in statu naturali neutrum ad iuris retentionis necessaria requisita referri debeat (per §. 16. et 18.). Porro si lex, ius retentionis indul-

*Iuris retentionis requisita et modi, quibus finitur.*

*cum applicatione ad ius nostrum.*

dulgens, loquitur de casu, cui subest debitum cum re, quae retinetur, connexum, ea ad casum, cui non subest debitum connexum, non est extendenda, id prohibente regula strictae interpretationis (schol. 2. ad §. 30.), quamvis in statu naturali nihil referat, retentio ex causa connexa exerceatur, nec ne (§. 21.). Quodsi vero lex quaedam ius retentionis concederet in casu debiti illiquidi, aut conditionati, aut non connexi, ea sine dubio esset extendenda ad casum eiusdem generis, cui subest debitum liquidum, purum aut connexum, idque ob manifestam legislatoris voluntatem, quae hanc extensionem omnino expeteret, utpote in casu, cui maior subest retentionis ratio, caetera vero eodem. Et iam calles, quid causae sit, cur in §. 30. dixerim, tales leges non *temere* esse extendendas. Caeterum postquam leges nostrae in determinandis requisitis iuris retentionis fere sunt nullae; silente vero iure civili, ius naturae sequendum: vel me non monente perspicis, theoriae, quam supra de hac materia tantum non prodigus tradidi, usum in Iurisprudentia nostra civili esse amplissimum, nec me de lana, quod aiunt, scripsisse caprina.

T A N T V M.



Sic



ic bene iura doces, BERN.

HARDE; RETENTIO cessat:

ius sibi quod ciues dicere iura vetant.

Sic bene iura doces, bene qui distin-  
guere doctus

errores certa cum ratione notas.

Euge igitur! meritas, doctrinae  
praemia, laudes

accipe, et ad patrios i, bene cin-  
cte, lares.

FRANCISCVS  
COMES DE GASCHIN  
OPPONENS.

G

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
DOMINO  
RESPONDENTI  
S. P. D.  
PRAESES.



*I*ta est, Praenobilissime atque Do-  
ctissime Domine CANDIDATE,  
non de lana scripsisti caprina.  
Enimvero incredibile est, quan-  
tos in retentionum materia DD.  
dissensus, quantas contentiones  
sit reperire. Alius pro iure retentionis manife-  
stam aequitatem naturalem militare clamat.  
Huic mox contradicens alius, idem retentionis ius  
agendum esse in exilium, contendit, tanquam iuri  
naturali contrarium atque inimicum. Disting-  
uite, interpellat alius, distinguite inter debi-  
tum connexum et non connexum, et rem acu tan-  
getis.

getis. Imo non tangetis, obstrepit alius, dubia,  
nescio quae, et sexcentos nodos contra nectens.  
Verum utinam haec sola doctrinam de retentione  
difficilem controuersia reddat! Quare de iuris  
retentionis requisitis; sciscitare hac super re  
DD. scripta, et obstupesces, se se campum tibi  
aperire discordiarum et variantium horridam sil-  
uam lectionum, citiusque repurgari Augiae sta-  
bulum, quam in vnam Iurisperitos cogi sententi-  
am posse, deprehendes. Et quae, amabote! tan-  
dem causa existit tantarum inter ICTos dissensio-  
num? Non obscura illa est, et facilis ad coniectu-  
randum. Nimirum iusto parciores sunt in defini-  
endo iure retentionis leges ciuiles, eiusdemque re-  
quisita alto silentio premunt. Silente vero Iure  
ciuili, naturale sequendum esse, compertum ha-  
bemus; et sequuntur omnes. Vnde ergo tanta  
opinionum varietas? videtur nonnemo rogare.  
Et rogat merito. Ius naturae enim idem est ac  
immutabile, semperque sibi constans. Verum  
uti in rebus aliis fere omnibus, ita et hic suos  
quisque manes patitur, sua cuius principia hae-  
rent. In se quidem Ius naturae semper idem est  
ac immutabile. Quatenus vero subiectiue specta-  
tur, Protei instar varias induit formas. Aliae  
sem-

*Semper aliis ideae sunt, nec eadem omnibus cognoscendi ratio. Hic aequitatem sibi fingit, ubi summam alius iniquitatem deprehendit. Uterque non raro male philosophatur, infelices uterque partus venales habet, in suo cerebro natos. Tere manu DD. libros, percurre fora nostri saeculi, et quanta eheu! opinionum iudicatorumque diuersitas in iis praesertim casibus se se spectandam praebet, quos non clare decisos iura ciuilia dant, argumento non dubio, aliud cuique Ius naturae inesse, imaginarium plerisque, nec ex solidis illud rationibus ductum. En lernam malorum! en Iuris naturalis neglectum infaustam errorum in scholis forisque matrem! Profecto saepe non mediocriter mihi dolet meminisse, esse non paucos Iurisprudentiae naturalis atque vniuersae Philosophiae contemptores, esse, qui eius culturam ad difficiles nugas atque inutilia taedia ablegandam existiment. Est haec pestis quaedam abominanda, qua teneri adolescentum animi non raro insciantur pessime, et vniuersa scientiarum, Iuris praesertim prudentiae, facies turpiter inquinatur. Quam ob rem omnino est, cur maximis eos laudibus extollamus, id qui agunt, ut ante, quam ciuili Iurisprudentiae addiscendae se mancipent, Philosophiae studio rationem colant,*



lant, et praesertim Iuris naturalis praecepta ex  
fontibus solidioris scholae hauriant, utpote non  
incertos posthac in illa progressus facturi. Hisce  
principiis et TE imbutum cernimus, CANDIDA-  
TE Doctissime. Exhibes nobis, (me hortante),  
Dissertationem eius argumenti, cuius utilitas in  
Iustiniano Iure se se exserit amplissima, cuiusque  
ignorantia non nisi monstra parturit. Animo  
itaque eo alacriori Praesidis, quod TVA mihi  
humanitas demandavit, officium in docto illo,  
quod perendie inibis, certamine suscipio, quo ma-  
gis totam, quam ventilandam dabis, tractatio-  
nem a capite ad calcem usque ex meis fluxisse prin-  
cipiis deprehendo. Gratulor intimis sensibus TV-  
ASTIBI laudes, gratulor vitae academicae curri-  
culum feliciter peractum, gratulor eximios, quos  
in meis quoque scholis fecisti, profectus. Redi,  
bonis auibus, in Patriam, et diligentiae Tuae  
fructibus Tecum ipso perfruere quam diutif-  
sime. Dabam Halae d. 26. Mart.  
MDCCLI.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

# DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

CHRIST. LVCAS WERNER, OPPON.

HASSO-MARBURGENSIS LL. C.



Uanquam morem nostris diebus intro-  
ductum haud ignoro, qui exigere videtur in  
istiusmodi occasione, qua nos hodie versa-  
mur, sic dictas literas gratulatorias con-  
dendi, Dominoque Respondenti exhibendi:  
tamen, etsi me in omnibus capitibus huic  
mori mancipare nolo, non vero in totum subtraho. Nam  
quid communiter in iis reperimus, praeter catalogum  
meritorum iisque dignorum elogiorum? Ex hac ratione  
neutiquam commotus pariter agendi, cum et iam satis  
aliunde scio, quam indignum TV ferre soleas, si alii lau-  
des TVAS efferre tentarent. Sic tantum mei officii esse  
arbitrans, tanquam amici veri nominis, quanta  
sit mea laetitia, de TVO sic bene et perfecte exacto, iuris  
studio, publice testandi. Feruor, quem semper erga  
scientias prodidisti, satis iam me de TVA absoluta eru-  
ditione conuinceret, nisi et haec erudite conscripta dis-  
sertatio omnem in animo depellat dubii speciem. Gra-  
tulator ergo TIBI *Amice perquam Dilectissime* de TVIS  
eruditionis profectibus; gratulator *parentibus TVIS Dile-  
ctissimis, Patriaeque*. Sis ipsis solatium explendo spem de  
TE bene et merito conceptram, meque, si quid rogare  
meum est, TVA suauissima amicitia non dedignari  
pergas. Vale.

PRAE.

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO  
**DOMINO RESPONDENTI**  
AMICO SVO SVAVISSIMO  
S. P. D.  
**IOHANNES GODOFREDVS KAYSER**

MAGDEBURGENSIS  
OPPONENS.



Morem eleganti verborum copia delineatum inde non reddi stagnantiorem conuictus, nec rhetoricas ambages praemitatus, nec laudum, vt moris esse solet, tuarum praeco superfluus futurus, iussu occasionis, qui TE exspectationi patriae et honoratissimorum, quos mox amplexibus TVIS tenebis, parentum, satisfecisse indigitat, nil nisi linguam peccatoris TIBI deditissimi loquor. Suavis laetitia animi mei potita praecipua a me TIBI explananda esto, cuius obiectum honorem esse ex assidua TVA studiis addicti-  
one hodie redundantem, quis dubitabit, postquam me amicum TE colere dixi? Auctis enim Piladis praedictis laude dignis, nonne quoque Orestes felicior erit? Ast similem inter nos adeste relationem, est id, de quo nec TV nec ego dubitamus. Enitere igitur fundamentum hoc gaudiorum meorum in dies cumulare, vt ex beneuolo isto nisu TE ipsum simul perfectiorem reddente motiua desumam sinceritatem erga TE (si nimirum factu possibile) ad altius propellendi cacumen. Quamobrem imposterum dies quicumque augmento felicitatis TVAE notatus faustiori quoque mihi erit omine. Quod tandem ad opponentis munus subeundum me non indignum putauisti, in specie me TIBI deuinctissimum habes. TV vero vale nec mihi absens amicitia TVA sanctissima unquam desiste. Dabam in Fridriciana die xxvi. Martii MDCCLI.

H

Dir

**D**ir, würdger Freund, den Ruhm zu gönnen,  
Den nur die Klugen fördern können  
Und den Dir alte Mäh' ersicht,  
Heißt Freundschaft, Zärtlichkeit und Pflicht.

Zur Versicherung einer immerwähren-  
den Hochachtung und Freundschaft  
schrieb dieses dem Herrn Respon-  
denti

**Wilhelm Christian Hueck,**

D. R. W.  
aus Reval in Eesland.

**N**ach schon erreichten Ziele  
Erhältst Du die Belohnung  
O Freund, die Pallas ertheilet,  
Und nun eilst Du voll Sehnsucht  
In ausgedehnte Arme  
Dich froh erwartender Eltern.  
O Liebe kanst du's dulden?  
Ich will den Freund beneiden.  
Sie spricht sie hasse die Neider.  
So zieh' denn, Sohn der Musen,  
Mein Herz wird Dich begleiten,  
Mein Wunsch wird stets um Dich flattern.  
Indessen soll mein Vorsatz  
Mit nicht geringrer Ehre  
Dir eiligst suchen zu folgen.

Zum Denkmahle der Freundschaft  
schrieb dieses dem Herrn Respon-  
denti

**Carl Adam Hueck**

aus Reval in Eesland.  
D. R. W.

Mon-

MONSIEUR

*Mon très cher ami,*

**P**armi la foule des souhaits, que *Vous* venés de recevoir a l'égard de l'honneur, que *Vos* disputes *Vous* portent pour récompenser *Vos* labeurs point entrecoupés, daignés aussi accepter ceux, que j'ose *Vous* adresser. Ils sortent d'un coeur, qui est épris des manieres, dont *Vous* usés envers *Vos* amis, et que *Vous* avés aussi genereusement etendu jusqu' à moi. Ne faut-il donc pas, qu'ils soyent les plus ardents, les plus sinceres? Oui ils le sont sans doute, *Monsieur*, et j'etudierai même de les pousser au plus haut degré, si *Vous* me promettés, de ne me pas croire indigne de *Votre* tendresse à l'avenir, laquelle je m'acquiterai aussi de meriter en *Vous* assurant, que je serai sans cesse

MONSIEUR

*Vôtre*

a Halle  
Le 26. de Mars  
1751.

serviteur adonné et ami sincere

Godefroi Diprand Guillaume  
de Reibnitz,  
de la Silesie

MONSIEUR

Monsieur de ...

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

MONSIEUR


1773

1773  
L. 2. 2. 2.

Gedruckel D. Johann-Gottlob  
de ...  
de la ...










Halle, Diss., 1751 (A/H)



TA-01





16

*J. 28. num. 4.*

DISSERTATIO IVRIS NATVRALIS

DE

1951

IVRE RETENTIONIS

*P. 64.*

QVAM

IN VSVM IVRIS CIVILIS

CONSCRIPSIT

ATQVE

PRAESIDE

*VIRO CONSULTISSIMO*

*AC DOCTISSIMO*

PHILIPPO IACOBO HEISLER

I. V. D.

PVBlice PROPVGNABIT

BERNHARDVS INTELMA NN

REVALIA - LIVONVS

MENSE MARTIO A. MDCCCLII

HALAE MAGDEBVRGICAE

LITERIS IOANNIS GODOFREDI KITTLERI.

